



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 12. Item ista, Hebr. 7. Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

*Hostia commemoratio celebratur, opus nostræ
Redemptionis exercetur.*

Quæst. 12. Quomodo intelligendum est
 23 illud Apostoli ad Hebræos cap. 7. *Et alii qui-*
 23 *dem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quòd*
 23 *morte prohiberentur permanere. Hic autem*
 23 *eo quod maneat in æternum, sempiternum*
 23 *habet Sacerdotium; unde & salvare in per-*
 23 *petuum potest accedentes per semetipsum ad*
 23 *Deum, semper vivens ad interpellandum pro*
 23 *nobis?*

Resp. Facile est explicare hunc Apostoli lo-
 cum, si dicamus cum omnibus Catholicis,
 Sacerdotes qui sunt in Ecclesia, non succedere
 Christo Domino, cum propriè loquendo ille
 solus sit unicus & principalis Sacerdos, & alii
 non offerant Sacrificium, nisi ut Ministri, &
 instrumenta Christi: & ideo non offerunt Sa-
 crificium, neque consecrant nomine proprio,
 propriaque autoritate, sed nomine & autho-
 ritate Jesu-Christi. *Nunc autem, ait S. Au-*
 gustinus, *relatus in Can. Sicut ipse est qui*
baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum sanc-
tum hanc suam efficit Carnem, & transit vi-
num in sanguinem.

Can. Virum.
De Consecr.
dist. 24

Can. Multi,
l. 9. 1.

Et Divus Gregorius relatus in Can. ait:
 23 *Heu, in quàm magnum laqueum incidunt,*
 23 *ut divina & occulta Mysteria plus ab aliis*
 23 *sanctificata posse fieri credant; cum unus idem-*
 23 *que Spiritus-sanctus in Ecclesia diffusa per*
 23 *totum orbem terrarum incomprehensibiliter*
 23 *ea Mysteria & occultè atque invisibiliter, &*
 23 *operando sanctificet, & benedicendo bene-*
 23 *dicat.*

Discrimen igitur inter veteris legis Sacerdo-
 zes, qui parentibus succedebant, & Sacerdotes
 Legis novæ est, quòd Sacerdotes antiquæ legis
 progenitoribus succedentes, non erant eorum.

De Sacrificio Missæ. Cap. I I. 229

Ministri, sed eorum successores in officio Sacerdotali, quod pari autoritate administrabant qua prædecessores: at in lege Evangelica, Christus solus est principalis Sacerdos, qui semper actu offert Sacrificium ubicumque offeratur; & qui Sacerdotum nomen, & munus habent, non sunt Christi successores, neque illud exercent proprio nomine, neque eadem cum Christo autoritate, sed solum *Pro Christo legatione funguntur*; ut ait Apostolus I. ad Corinth. cap. I.

Et ut ait Divus Thomas: *Sacerdos consecrat hoc Sacramentum, non virtute propria, sed sicut Minister Christi in cuius persona consecrat hoc Sacrificium.* Denique Concilium Florentinum in Decreto Unionis. *Sacerdos in persona Christi loquens, hoc Mysterium conficit.*

D. Tho. 3. P.
q. 82. art. 10

C A P U T I I.

De Ministro Sacrificii Missæ, & de Dispositionibus ad illud requisitis.

Quæst. I. **Q**UISNAM est Minister Sacrificii Missæ?

Resp. Sacerdos solus est Minister legitimus Sacrificii Corporis, & sanguinis Christi Domini, quod in Altari offertur, ut patet ex variis Ecclesiæ Conciliis. Nicæno, in quo legitur: *Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam & civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant: hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi Sacrificii potestatem non habent, his, qui offerunt Corpus Christi, porrigant.* Ex quo patet, quod Diaconi, qui primi sunt Ministris

Conc. Nicæ-
num. Can. 14